

q. 99. a. 3. intellige *Ministorum* Ecclesiæ, quæ tales sunt; cetera enim bona Ecclesiastica sub hac regula non comprehenduntur.

24. *Quæst.* 3. Quale peccatum sit *sacrilegium*? Ex genere suo mortale, quia per illud gravis injuria Deo infertur, cum rei sacræ contemptus redundet in Dei ipsius contemptum. Hinc in confessione semper exprimenda est circumstantia sacrilegii, v. g. furti in Ecclesia, & luxuriæ cum persona Deo sacræ. Imo & species sacrilegii declarandæ sunt, cum non semper omne sacrilegium sub una specie contineatur.

*Quæst.* 4. An omne peccatum in loco sacro commissum contrahat malitiam sacrilegii? R. affirm. de actibus externis, quia talia peccata directe repugnant institutioni, & sanctitati loci, in quo Deus pie colendus est. Enim vero si actiones profanæ, alioqui licitæ, ut venditio columbarum ad usum templi, a Christo prohibitæ sunt, & punitæ, tanquam quid repugnans loci sanctitati, quia templum domus orationis est; quid dicendum est de actionibus externis, quæ in se malæ sint, & a Deo prohibitæ? Peccata vero interna ex communi opinione non contrahunt malitiam sacrilegii, nec per illa violari censetur locus sacer.

25. Hic nota 1. sacrilegium quandoque perpetrari sola omissione, ut si corporalia, vasa sacræ, & alia, quæ proxime Sacrificio inserviunt, sunt valde immunda; si Crisma, vel Eucharistia non satis custodiatur, si species Eucharisticæ corrumpi sinantur in pyxide, cet. 2. Ecclesiæ nomine comprehendendi quoque cœmeterium,

Sacristiam, & claustra religiosa, quando agitur de violatione asyli, ubi lex viget: furtum vero non censetur sacrilegium in claustris, & Oratorio domus privatæ, nisi sit de re sacræ. In Oratoriis vero Xenodochii, vel Eremitorii, merito ait Sanchez, omne furtum esse sacrilegium. Constat ex c. *Quisquis* 27. q. 4. ubi damnatur ut sacrilegus a Joan. VIII. *auferens sacrum, de sacro vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro* 3. Violatio voti est sacrilegium, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3. quamvis id multi solum concedant de voto castitatis. Denique notandum, feminis, & laicis non licere attingere ea, quæ sunt chrismate delibuta, nec ea, quæ Eucharistiam proxime contingunt, ut calices, patenas, cet. quamvis si id fiat ex causa, & sine contemptu, aut nullum erit peccatum, aut certe non erit mortale. Pro monialibus vero adest privilegium, ut docent Salmant. Corporalia, vel purificatoria lavari a feminis non licet, nisi prius a Sacerdote lota fuerint.

## CAPUT IV.

## De Simonia.

26. *Quæst.* 1. Quid est simonia? R. est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. S. Th. 2. 2. q. 100. ar. 1. Sic dicta est a Simone Mago, qui pecunia voluit emere dona Spir. S. ut constat ex Act. Apost. c. 8. Nomine *emendi*, aut *vendendi* intelligitur quivis contra-

Tom. I. 14

ctus onerosus, in quo intercedat obligatio ex pacto, sive tacito, sive expresso. Dicitur *pretium temporale* pecunia, & quæcumque res pecunia æstimabilis, aut commodum quodcumque temporale. S. Greg. & S. Th. loco cit. Simonia præ-tium est triplex: munus *ab obsequio*, puta quodvis servitium, vel ministerium in rebus temporalibus; munus *a manu*, scilicet pecunia, vel res omnis pecunia æstimabilis: munus *a lingua* ut est laus, patrocinium, intercessio, & similia. Dicitur *spirituale* omne, quod ad salutem animæ specialiter ordinatur, ut est gratia, dona Spiritus S., Sacramenta, preces, concio, & Sacramentalia, consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, collatio beneficii, & omnis actus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Additur *spirituali annexum*, ut comprehendatur non solum res omnes sacræ, & spirituales, sed quæcumque iis sunt conjuncta, vel annexa. Possunt autem conjungi vel *antecedenter*, ut jus patronatus respectu beneficii, vasa, & vestes sacræ in ordine ad sacrificium; vel *concomitanter*, ut labor intrinsecus, & necessarius administrationi Sacramentorum; vel *consequenter*, ut redditus beneficiorum, qui consequuntur Officium Divinum.

27. *Quæst. 2.* Quotuplex est simonia? R. triplex, *mentalis* scilicet, *conventionalis*, & *realis*. *Mentalis* dicitur, cum quis dat temporale alicui cum animo ipsum obligandi ad reddendum spirituale, vel e converso, sed absque ullo pacto. Dicitur autem *mentalis*; non quia sit actio mere interna, ut v. g. furtum mentale, sed quia malitia Simonia non apparet exterius, sed in mente

manet. *Conventionalis* est pactum simoniacum, nondum executioni mandatum. Quod si a neutra parte sit executum, dicitur purè *conventionalis*; si vero ex una parte contrahentium completum sit, ex alia non item, erit *conventionalis mixta*, quia participat aliquid de reali. Cum vero pacto simoniaca est utrinque completa, dicitur *Simonia realis*.

28. Ad simoniam *conventionalem* refertur *confidentialis*, cum quis alteri procurat beneficium cum pacto tacito, vel expresso, aliquam partem fructuum sibi reservandi. Quæ *confidentia* simonia graviter prohibetur a Pio IV. Bulla 85. & a Pio V. Bulla, quæ incipit *intollerabilis*. Ea vero tripliciter fieri potest; per *accessum*, ut si renunties alteri Beneficium, ea conditione, ut illud postea resignet, & alteri conferatur, per *ingressum*, cum resignas alteri beneficium, tibi collatum, sed nondum possessum cum pacto, ut postea illud accipias; per *regressum*, cum quis beneficium a se possessum alteri resignat ea conditione, ut iste postea sibi, vel alteri idem beneficium resignet.

29. Dividitur quoque simonia in eam, quæ est *juris Divini*, estque prohibita propter malitiam suam, & eam, quæ est *juris humani*, estque mala, quia prohibita est ab Ecclesia. Primi generis est emptio, aut venditio rei sacræ, v. g. hostiæ consecratæ, quia recta ratio dictat, rem sacram digne tractandam, adeoque gravem Deo fieri injuriam, si res Deo sacra, qua sacra est, pro temporaria permutetur. Secundi generis est venditio beneficiorum secundum id, quod in ip-

sis est temporale scilicet quoad jus percipiendi fructus; venditio officiorum, quæ ad res sacras extrinsecus ordinantur, ut Sacristiæ, Œconomi; cet.

30. *Quest. 3.* An sit mentalis simonia, dare spirituale, principaliter ob temporale, vel contra? R. affirm. & contraria opinio damnata est ab Innoc. XI. in prop. 45. quæ habebat: *dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra.* Et prop. 46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.* Ratio autem est. 1. quia licet non interveniat formalis intentio dandi spirituale ut pretium temporalis, vel e contrario, re vera intercedit intentio virtualis, & virtuale pactum. Quando enim datur res mere spiritualis, v. g. beneficium, aut Sacramenta; præcipue ut aliquid temporale obtineatur, nemo prudens existimat, rem dari omnino gratis, sed intercedere tacitum quoddam pactum alterum obligandi. Unde motivum convertitur in pretium, vel illi virtualiter comparatur. 2. qui confert alteri beneficium propter munera data, vel danda, illud vendit, contra Christi præceptum: *gratis accepistis, gratis date.* Nec Simon Magus damnatur alio nomine, nisi quia pecuniam obtulit eo fine, ut acciperet potestatem conferendi Spir. S. & quod existimavit,

*donum Dei pecunia possideri.* Atque idem colligitur ex definitionibus Conc. Later. I. & II. & ex Conc. Chalcedonensi.

31. *Quest. 4.* An sit reus simoniæ, qui dat alteri gratis aliquid temporale, sed cum animo alliciendi ipsum, ut ei ex gratitudine retribuatur spirituale; v. g. an liceat Episcopo inservire, ut tibi ex gratitudine conferat beneficium? R. 1. simoniam esse, deducere in pactum hanc obligationem gratitudinis, sive *antidoralem*. Ita communis sententia cum Suarez, Covarruv. Layman, & aliis, quia hujusmodi conventio novam inducit obligationem, sin minus justitiæ, saltem fidelitatis, quæ cum sit pretio æstimabilis, certe pactum reddit simoniacum. Ideo enim in c. *Qua impio* c. 1. q. 2. dicitur: *omnis absit pactio, omnis conventio cesset;* nec aliter potest dici beneficium conferri omnino gratis, sed tacitus contractus intervenit: *do ut des, do ut facias.* R. 2. etsi nullum pactum interveniat, tamen dare gratis temporale præcipue ad obtinendum spirituale, etiam titulo gratitudinis, v. g. servire omnino gratis Episcopo, eo fine, ut ille postea ex gratitudine tibi conferat Beneficium, excusari nequit a Simonia mentali. Nam ut recte advertunt Salmant. Sanch. Bonac. Roncaglia, & alii, ubi deest alius titulus præstandi aliquod servitium temporale præter spem obtinendi Beneficii, præsumenda est intentio simoniaca; præsertim cum sine illa spe non inservires. Constat ex c. *Tua nos* de Sim. Ubi Pontifex loquens de illo, qui bona sua Ecclesiæ donabat, rogans, ut ad Canonikatam admitteretur, ait: *Si is, qui talem dona-*

tionem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona spiritualia valeat adipisci; & Clerici, qui in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent; admissuri, sine dubio tam istè, quam illi apud districtum iudicem culpabiles iudicantur.

32. R. 3. immunis est a simonia, qui dat gratis temporale, licet pro motivo minus principali habeat, alium obligare ex gratitudine ad reddendum spirituale. Ita Suarez, Salmant. & communiter TT. Tunc enim deest titulus simoniæ, nempe pactio sive implicita, sive explicita dandi temporale pro spirituali. Unde damnandus non est, qui famulatur Episcopo primario ad captandam ejus benevolentiam, vel ob alium finem honestum, & secundario ad obtinendum beneficium. Multo minus de simonia argui debet Episcopus, qui beneficium conferat Clerico in testimonium gratitudinis ob sibi præstitum obsequium, ut dicit Elbel cum Suarez. Neque est simonia, dare alicui gratis Beneficium, quo se sustentet. Imo collatio facta indigno ratione amicitiae, vel consanguinitatis, sed omnino gratis, est quidem illicita, non autem simoniaca, ut docet D. Th. 2. 2. q. 100. art. 15. ad 1. dicens: *dare aliquid spirituale propter quamcumque carnalem affectionem... Unde hoc non pertinet ad contractum venditionis, in quo fundatur simonia; cet.* Idem tamen D. Thomas ibidem damnat eum, qui Beneficium confert ad preces alterius, ad favorem humanum obtinendum; hic enim favor est munus temporale, pretio aestimabile, quod pro spirituali commutari nequit absque simonia.

33. Quæst. 5. An liceat aliquid accipere pro functione spirituali, v. g. concione, Missa, & administratione Sacramentorum? R. 1. Certum est, absque simonia non posse accipi pecuniam, tanquam pretium rei spiritualis, vel laboris intrinseci, & necessarij ad functionem spirituales. Secus est, si labor sit extrinsecus, ut celebrare cum cantu, tali hora, & similiter.

R. 2. non est Simonia accipere pecuniam, non ut pretium rei sacræ, sed ut stipendium sustentationis, etiam pro labore intrinseco, in administratione sacræ functionis impendendo: idque, etiam si Minister aliunde sit locuples. Ita TT. omnes cum D. Th. 2. 2. q. 100. art. 3. Quod probant ex illo Lucæ 10. *dignus est operarius mercede sua.* Et ex Ap. ad Cor. 9. *nemo militat suis stipendiis.* Constat etiam ex consuetudine Ecclesiæ approbata c. 12. de præb. & c. *Ex his* 22. causâ 12. q. 1. Constat ex Conc. Const. 2. damnante hanc Wiclefi prop. *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.* Imo licet de tali stipendio pacisci, dummodo taxam, vel consuetudinem non excedas; quamvis enim jure Can. prohibeatur omne pactum in spiritualibus, id tamen intelligendum est de pactionibus inhonestis, ut vult Roncaglia, vel ut placet Lessio, cum Soto, per contrariam consuetudinem huic legi est derogatum. Adde, doceri a D. Th. loco cit. stipendia, & proventus hujusmodi *exigi posse a nolentibus, & valentibus solvere auctoritate Superioris interveniente.* Hinc oritur....

34. Quæst. 6. An sit simonia præstare hu-

justi modi munia, v. g. assistere choro principaliter ob temporale emolumentum? Affirmant multi cum S. Th. quodl. 8. q. 6. art. 1. dicente: *si hujusmodi distributiones recipit quasi finem operis sui, principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat.* Hinc colligunt, Sacerdotem in mortali celebrantem ob stipendium, reum esse Simoniam. Communior tamen sententia TT. cum Soto, Suarez, aliisque multis dicit, simoniam tunc tantum intercedere, cum temporale accipitur ut pretium rei spiritualis, unum cum alio comparando. At in nostra hypotesi temporale accipitur ut stipendium non rei, sed personae, occupatae in gratiam alterius, cui debita est sustentatio, & quidem ex justitia. Quod si nemo dicitur reus simoniam, eo quod det stipendium principaliter propter Missam, quae res est spiritualis; e converso non videtur simoniam committere, qui stipendium accipit Missae, licet Missam dicat praecipue ob stipendium; eadem enim est ratio dantis eleemosynam, & accipientis.

35. Dices tamen: in ea hypotesi temporale est praecipuum motivum dandi spirituale, quod sufficere ad simoniam constat ex damnata prop.

46. Respondent autem; ibi motivum accipi pro pretio, sive expresso, sive virtuali rei spiritualis; hic vero pro solo stipendio, debito personae ministranti, quod certe non habet locum pretii, alias non liceret accipere eleemosynam pro sacrificio Missae in stipendium, contra omnium sententiam. Nota tamen, eum, qui in administratione rei spiritualis sibi praestituit motivum tem-

porale, posse committere simoniam, si nempe lucrum intendat, ut finem operis, quia tunc vendere intendit opus ipsum spirituale; secus vero si lucrum intendatur, ut finis operantis, scilicet ratione operationis personae occupatae in gratiam alterius, quia tunc habet rationem stipendii, neque intervenit simonia. Atque in primo sensu D. Thomam interpretantur Salmanticensis, qui dicunt, posse Oeconomum accipere stipendium a paroco, cujus vices praestat; posse quoque divitem dare pecuniam pauperi, ut pro se oret, ad modum stipendii, quod tradit etiam D. Thomas 4. p. d. 25. a. 2. q. 2. Facendum tamen est cum Salmant. a peccato veniali excusari non posse, qui sacra ministeria peragunt praecipue ob temporale emolumentum, cum ordo rectus prohibeat dirigere spiritualia ad temporalia.

36. Ex dictis colliges esse simoniam dare mutuum, ut beneficium, vel alia res spiritualis retribuatur; vel e contrario; quia vere pactio intercedit dandi spirituale pro temporali, 2. conferre alteri beneficium cum onere solvendi sibi, vel alteri pensionem, est simonia, cum sit onus pretio aestimabile: item pacisci cum alio, ut si te adjuvet ad obtinendum beneficium, illi pensionem solvas. Non tamen arguendus est simoniam Pontifex, vel Princeps, qui pensiones imponunt super Dignitates, aut Beneficia; cum hoc sit tantum subtrahere aliquam partem redditus, ut pio cuiusdam operi applicent ex auctoritate Ecclesiae. 3. Simonia est, dare aliquid temporale, imponendo onus spirituale, si obligatio simpliciter

imponatur; quia tunc interest vera commutatio rei temporalis pro spirituali; potest tamen dari eleemosyna, vel munus aliquod pretio æstimabile ad alliciendum aliquem, ut præstet rem spiritualem, modo nullum pactum onerosum intercedat. S. Thomas loco cit. Suarez, alii.

### CAPUT V.

#### *De Simonia in materia Beneficiaria.*

37. *Quest. 1.* Quoniam jure simonia sit vendere Beneficia? R. jure Divino: ita communis sententia TT. cum Suarez contra Navarum, & alios, præsertim Canonistas. Duo enim sunt in Beneficio jura distinguenda; alterum ad exercendas spirituales functiones Ordinis, & hoc est certè jure Divino invendibile; alterum est jus ad redditus temporales, ex beneficio provenientes, quod ita annexum est spirituali, ut nullo modo, ab eo possit separari. Est ratio, quia in beneficiis jus temporale essentialiter datur propter officium spirituale; ita ut si consideretur jus ad redditus, separatum a jure exercendi officia sacra, jam amplius dici nequeat jus beneficiale. Ita colligitur ex Trid. Sess. 21. c. 3. ubi dicitur, *beneficium esse propter officium*, & ex c. *Si quis 1. q. 3. quisquis horum alterum vendit, neutrum invenditum derelinquit.* Itaque etsi non tenearis Beneficium alteri dare, tamen si conferas, illud gratis conferre debes. Unde D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ait: *Beneficia nullo modo vendere licet, quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subijci.*

38. Dicunt: calix consecratus vendi potest ratione materiæ; pariter jus Patronatus vendi potest quoad honores, & subventiones; quæ Patronis debentur. Cur ergo non poterit separari in Beneficio jus ad redditus temporales a jure omnino spirituali? Respondet S. Thomas, quia calix solum antecedenter est annexus spirituali, seu quod idem est, non præsupponit, sed ei advenit spirituale, nempe consecratio. Jus percipiendi redditus fundatur in spirituali, & illud præsupponit, adeoque subsequenter annexum est spirituali, ita ut competere non possit nisi ei, qui exercet munus spirituale, propter quod fructus sunt destinati. Idem est discrimen circa jus patronatus, quo vendito quoad honores, ejusque subventiones, non censetur vendi Beneficium. Hinc docent AA. nullam esse venditionem Beneficii, nec a Papa dispensari posse. Potest tamen Pontifex titulum; seu jus officii spiritualis separare a jure ad redditus, & ita separatum est jus mere temporale, cujus distractio non erit simoniaca, ut probat consuetudo pensiones imponendi super beneficia.

39. *Quest. 2.* An & quomodo sit prohibita venditio juris præsentandi ab Beneficium? R. 1. vendito fundo, cui annexum est tale jus, transfertur in emptorem. Nec ideo dicitur vendi jus Patronatus, nisi pro hoc jure aliquid accipiat præter id, quod pro fundo debetur. Quod si lis fuerit circa jus Patronatus, non licet imponi præsentato onus suis expensis litigandi, & probandi jus ad Patronum spectare; cum tale pactum sit virtualiter præsentationem vendere